



**Liber Officialis Seu Agendorum Pastoralium S. Trevirensis  
Ecclesiæ**

**Johann Hugo <Trier, Erzbischof>**

**Mogvntiæ, 1688**

De Sacramento Extremæ Unctionis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75322](#)

providebunt, ne, si secùs fiat, in reditu Ciborum in ahe cultu irreligio-  
so adorandum populo exponant.

## DE SACRAMENTO EXTREMÆ UNCTIONIS.

**E**xrema Unctio est Sacmentum per unctionem olei ab Episco-  
opo benedicti, & orationem sacerdotis ad conferendam ho-  
mini ægro ad mortem, velut medicina coelestis, salutem mentis,  
vel etiam corporis, à Christo institutum, ab Apostolo promul-  
gatum. \* Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesię, <sup>\* Iacobi cap. 5.</sup>  
& orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & ora-  
tio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in pec-  
catis sit, remittentur ei.

**H**æc coelestis medicina animæ, & corporis omni studio, ac  
diligentiâ periculose ægrotantibus tanquam firmissimum quod-  
dam in fine vitæ præsidium adhibenda est contra omnes verutias,  
& tentationes Dæmonis calcaneo insidiantis, dum impendere ho-  
mini vitæ exitum prospicit. Unde & Sacmentum exeuntium  
nuncupatur.

**C**onveniens verò, ut eo tempore adhibeatur, si fieri possit, cum  
in illis adhuc integra mens, & ratio vigeat; ut ad uberiorem Sacra-  
menti gratiam percipiendam, ipsi etiam suam fidem, ac piam a-  
nimi voluntatem conferre possint, dum sacro liniuntur oleo: unde  
non est exspectandum quoad collationem Extremæ Unctionis  
usque dum causæ naturales ægrum nullo modo juvare possint,  
aut cum æger spe omni salutis amissâ, sensibus & vitâ carere in-  
cipit.

**I**n quo illud in primis ex generalis Ecclesiæ consuetudine obser-  
vandum est, ut, si tempus, & infirmi conditio permittant, ante  
Extremam Unctionem, Pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacmenta  
infirmis ministrentur.

### De Materia & Forma.

**M**ateria est oleum sacrum infirmorum feria v. in Coena Do-  
mini ab Episcopo benedictum, quod singulis annis combusto  
veteri, renovandum est. Id tamen, si forte infra annum aliquo

I 2 modo

modo ita deficiat, ut sufficere non posse videatur, neque aliud benedictum haberi queat, modico oleo non benedicto, in minori tamen quantitate, superinfuso adaugeri potest. Oleum porrò ipsum in vase argenteo seu stanneo diligenter custodiatur, & ad evitandum effusionis periculum, si ad infirmos deferatur, in bombycio asservetur. Forma hujus Sacramenti.

Per istam sanctam unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti per visum &c. Amen. Similiter in aliis membris ut infra.

### De Ministro.

\* Cap. Re.  
ligiosi de  
privileg.  
in Clemenc-  
tin. Minister est proprius Parochus, seu alias sacerdos ex ejusdem commissione. Religiosus hoc Sacramentum sine venia Parochi administrans excommunicationem Papalem incurrit \* nisi illum aut ignorantia, aut spes ratificationis, seu interpretativa & presumpta voluntas excusaret ; ungere enim est actus pastoralis jurisdictionis.

### De Suscipientibus.

Debet hoc Sacramentum infirmis praeberti, qui cum ad rationis usum pervenerint, tam graviter laborant, ut mortis periculum imminere videatur, & iis, qui praे senio deficiunt & in diem videntur morituri, etiam sine alia infirmitate ; idem dicitur de mulieribus in partu deficientibus.

Infirmis autem, qui dum sanâ mente, & integris sensibus essent, illud petierunt, seu verisimiliter petiissent, seu dederunt signa contritionis, etiamsi deinde loquela amiserint, vel amentes effecti sint, vel delirent, aut non sentiant, etiam de iis, quibus dubitatur, num vivant, nihilominus praebatur.

Sed, si infirmus, dum phrenesi, aut amentia laborat, verisimiliter posset quidquam facere contra reverentiam Sacramenti, non inungatur, nisi periculum tollatur aut ligando, aut tenendo infirmum.

Non

**N**on ministretur prælium inituris ; nec navigationem, peregrinationem, aut alia pericula subituris, nec reis ultimo suppicio afficendis.

**I**n extremo agone unum aliquod magis obvium membrum v. g. oculum , inungi sufficit , dicendo totam formam : Per istam sanctam Unctionem , & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum, & tactum, &c. Si verò, dum ungitur , infirmus decebat, Parochus ultrà non procedat , & orationes omittat : Quod si verò dubitet, an vivat adhuc, unctionem prosequatur, sub conditione pronuntiando formam dicens : Si vivis, per istam sanctam unctionem &c. ut infrà.

**Q**uando leprosi, aliòve morbo contagioso infecti , ungendi sunt, et si Parochus heroicè fecerit, si omni posito timore, divinâ fretus gratiâ infirmum more usitato inungat : posset tamen, qui naturâ esset timidior , vel debilior, ad evitandum periculum, spatulâ in sacrum Oleum intinctâ unctionem perficere , eamque dein cum spatula, seulino, quo pollicem, & loca inuncta tersit, in ignem projicere.

**Q**uinque verò corporis partes ungi debent , quas veluti sensuum instrumenta homini natura tribuit : nempè oculi, aures, nares, os, manus, & pedes.

**M**anus tamen, quæ reliquis infirmis interius intungi debent, Presbyteris exterioriungantur, quia ibi priùs ab Episcopo in Ordinatione sacerdotii inunctæ sunt.

**S**i quis autem aliquo membro mutilatus , pars corporis illi propinqua inungatur eadem verborum formâ.

**I**n eadem infirmitate hoc Sacramentum iterari potest , si diurna sit, & infirmus aut convaluerit, aut periculum evaserit, & rursum post aliquantulum temporis de vita periclitetur.

## De Effectibus.

Principalis est augmentum gratiæ sanctificantis, prout & cæterorum Sacramentorum, quæ vivorum nuncupantur. 2. liberatio à reliquiis peccatorum, & pronitate ad malum. 3. Corroborationis infirmi contra morbi pondus, terrores mortis & angores, omnisque Diabolicæ versutiæ nervos, magnam in eo Divinæ misericordiæ fiduciam excitans, 4. juxta opinionem gravium DD. deletio peccati mortalis, per accidens tamen, casu, quo nimis infirmus ob invincibilem ignorantiam, vel impotentiam remediis aliis non est consecutus remissionem eorundem. 5. Secundarius effectus est sanitas etiam corporis, ubi animæ saluti expedierit. Ut proinde salubriter fecerit Parochus, si hos effectus infirmo exponat, illum confirmet, ac soletur, persuadeatque fore, ut ex hac mortali vita migrans, expeditiorem ad cœlos viam habeat. Omnes verò, qui infirmo adsunt, paternè hortetur in Domino, ut fragilitatis humanæ memores devotis suis precibus infirmi necessitates Deo commendare non desinant, potissimum ubi adverterint ægrum tantis ægritudinis, & dolorum angustiis premi, ut mentem in oratione ad Deum elevare nequeat.

## ORDO MINISTRANDI SACRAMENTUM EXTREMÆ UNCTIONIS.

**P**arochus igitur hoc Sacmentum ministraturus juxta præmonitum pag. 3. vestibus sacris, utpotè sine quibus etiam in administratione hujus Sacmenti, extra loca hæreticorum, absque culpa mortali juxta Suarez, Bonacin. Gobat, & alios oleum sacrum ad infirmos deferre non licet, **F**indutus, **N**on quatenus fieri poterit, parari curet apud infirmum mensam, mappâ candidâ coopertam. **F**oveantur **A**ditum super pelliceo induitum et cruce fixa cum aqua benedicta ad adores in firmi sequuntur. **E**ffigiem crucifixi Salvatoris nostri cum candela ardente. **V**as cum medulla panis, sale, & aqua, ad abluendos & defricandos digitorum peractâ unctione. **b**ombycium, linum, seu quid simile in globulos distinctum ad abstergendas partes inunctas. **p**riusquam æger inungatur, laventur membrâ seu locâ, in quibus sacra unctione peragenda.

Sacer-